



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Cosecratio virginum quando illicita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Virginum consecratio. 547

rum. Sic enim licet non solum appetere, sed querere per officium iudicis vindictam illorum qui se vel alios offenderunt.

Consecratio virginum quando fit illicita.

Virginum consecratio illicita redditur, si in veritate virgo non est quae consecratur. Nec excusatur ex hoc quod occulta est virginitatis amissio, & scandalum esset, si non consecraretur: quia in sacramentalibus Ecclesiae actionibus non debet interuenire fictio, sicut nec in sacramentis. Et quia fictio ista qua ut virgo se ingerit consecrationi, quae virgo non est, iniuriosa est sacramentalibus Ecclesiae, peccatum est mortale ex suo genere. De remedio autem multis dato occulte violatis virginibus consecrandis ad evitandum scandalum scilicet ut nomen virginitatis in nomine castriratis aut continentiae muretur dicendum videtur quod vanum est, quia si officium consecrationis virginum perspiciat, apparebit quod aut oportet virginem consecrare per illud officium, aut illud omittere sicut per officium quo consecratur Episcop. oportet Episcopum consecrari: & similia. Nec puto doctorem aliquem qui officium huiusmodi viderit, hoc consuluisse: sed solummodo quod aliquae ceremoniae illius officii & aliquae illius orationes, mutant virginitatis nomine in nomen castriratis, fieri vel dici possunt: ut vel sic appareat illam benedici ad vitandum scandalum quod à ratione alienum non est. sed aduerte quod virginitas sumitur in proposito, ut est nomen status, ita quod sufficit ad consecrationem quod sit virgo secundum carnis integritatem. Tum quia Ecclesia vtitur nominibus ut plures vtiuntur. Virginitas autem communis usu est nomen status: ut patet ex usu. Et in Euangelio virgines distinguuntur infatuas & prudentes, & Paulus virgines distinguens

L 1 § 20

in castas & non castas denotat dum dicit, Despondi vos vni viro virginem castam exhibere. Et confirmatur: quia aliter Ecclesia daret occasionem fallendi, nam & mulieres & puellæ cum toto mundo vocant virgines quæ carnis retinent integritatem. Et propterea si aliud quam hoc Ecclesia exigeret, quum ponit a puellis consecrandis si virgines sunt falli oportet Ecclesiam: & tamen puellæ non decipiunt Ecclesiam dicentes se esse virgines quandiu carnis retinent integritatem quia hoc intelligunt per esse virginem. Et confirmatur adhuc quia in Pontificali Romano postquam dictum est quod Pontifex diligenter inquirat ante consecrationem de aetate xxv. annorum, & proposito seruandi virginitatem, subiungittur. Et insuper seorsum cum qualibet consecranda, de vita & conscientia & carnis integritate. Vbi clare patet explicari quod per virginitatem intelligat Pontifex inquirens scilicet carnis integritatem. Et haec sunt dicta, ne pueret quis puellas integras carne, mente autem & negligentia seu complacentia pollutionum delectabilium corruptas a consecratione repellendas esse, quia irreparabiliter perdiderunt virginitatis virtutem. Possunt enim consecrari: quia sunt verè virginis secundum statum, licet non secundum virtutem.

*Prælati possunt peccare suum gregem
visitando.*

Visitatio (qua Episcopi seu Prælati visitant gregem suum) illicita redditur si non conformetur factis Canonibus, & specialiter formæ præcepit in lib. vi. de censi. cap. Romana.

Contemptus extremæunctionis peccatum est.

Vunctionem extremam quamvis non teneatur homo accipere ut necessariam ad salutem, contemptus tamen illius peccatum est mortale, non mi-

duo